

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**De Obligatione Matrimoniali secundum Legem Naturae**

**Wernher, Johann Balthasar von**

**Lipsiae, 1698**

§. XVI

**urn:nbn:de:bsz:31-102612**

conditione illa, cum in ejus existentiam consensum conjugalem contulerit atque suspenderit. Quod secus est, si eo tempore, quo matrimonialem consensum interponit, existimet, faminam divitiis abundare, postea artem hæc ipsi spes decollet. Credulæ enim facilitati suæ imputet, quod non diligentius antea in veritatem inquisivit. Id autem debebat facere propterea, quod de locuplete dote fidem non censetur dare fœmina, nec ipse de conditione tali contra communem consuetudinem cogitare præsumitur. Idem etiam dicendum, si expresserit quidem conditionem de certa dote inferenda, sed antequam de eâ ipsi satis cautum sit, matrimonium consummet. Tum enim, quamvis spem suam se fefellisse deprehendat, tamen repudiare uxorem, quam semel duxit, propterea non potest, quod in casum deficientis conditionis non de eâ repudianda, sed non ducenda egit. Conf. *Pufend. d. J. N. & G. d. l.* Nec vitatur matrimonium errore circa nomen, formam, aut qualitates tales alias commisso. Nam si tanti hæc ipsi fuerant, ut eorum conditioni superstruere consensum matrimonialem vellet, differre eum debebat usque eò, donec de eorum veritate satis ipsi constitisset. Cæterum Juri Civili libera hic circumstantiarum atque certarum solemnitatum determinatio est relicta; potestque illud clausulis pacto matrimoniali adjectis vim suspendendi constitutionem conjugii adimere. De metu quaritur, an, si is causam matrimonio dederit, ejus vim evertat? Nego; Nam, metus electionem ac proinde consensum non excludit, utut ad validitatem conjugum consensum omnino liberum desiderare Jus Civile queat.

§. XVI.

Effectus matrimonii est obligatio mariti & uxoris ad officia conjugalia, quæ mutuo sibi invicem præstare debent. Atque hæc jam supra à nobis explicata sunt.

§. XVII.

Contrarium matrimonii est *divortium*. Est autem *divortium* nihil aliud, quam *vinculi conjugalis inter maritum & uxorem dissolutio*; quod quatenus I. N. permissum sit, magna est & intricata, questio; ex qua, ut ritè nos expediamus, pactorum, quæ cum matrimonio contrahitur, tacite interveniunt, ratio probè evol-